

## **Luxationis brachii aetiologia ... / [G.P.F. Groshans].**

### **Contributors**

Groshans, G. P. F. active 1771.  
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Reisii, [1771]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/uurzwh7h>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



35  
**LUXATIONIS  
BRACHII ÆTIOLOGIA,**

---

QUAM

RECTORE VNIVERSITATIS EBERHARDINO-CAROLINÆ  
MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO DUCE ET DOMINO,

DOMINO

CAROLO,

DUCE WÜRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ, rel. rel.

PRÆSIDE

h. t.

PRO-RECTORE

MAGNIFICO

GEORGIO FRIDERICO  
SIGWART,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE,  
CHIRURGIAE ET ANATOMIÆ PROFESSORE

PUBLICO ORDINARIO,

MEDICO AULICO,

PRO GRADU DOCTORIS IN MEDICINA

d.

Decemb. 1771.

PUBLICÆ DEFENDENDAM

SUMSIT

GEORGIUS PHILIPPUS FRIDERICUS  
GROSHANS

*Ludovico-politanus.*

---

TUBINGÆ, TYPIS REISII.



LUXATIO  
BRACHII ETIOLOGIA.

CAUSAE  
FACTORE  
SYMPTOMATA  
TERMINATIO

D O M I N O  
C A R L O  
DUCI W. ETHERGIA ET TECNE, MD. 181.

P R O F E S S O R I  
L E C T U R I

GEORGIO FRIDERICO

W I L H E L M O

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR  
HABENS ET IN OMNIBUS PARTIBUS  
MEDICINAE ORDINARIUS  
MEDICUS UNIVERSITATIS  
PROFESSOR DOCTOR IN MEDICINA  
JANUARI 1771. AETATIS 37.  
PUBLISSE PER WERNERUM


GEORGII PHILIPPI FRIDERICI  
G R O S S H A N S

LIBRARIUS, TUBINGAE.





## P R Æ F A T I O

 *Quam nuper cœpi graviorem de brachii luxatione pathologicam doctrinam, tum jactis sic, ni fallor, primis ejusdem æque, ac circa illam necessariæ rationalis praxeos fundamentis, eam nunc continuare quidem, neque tamen ad finem ipsius producere, constitutum habeo. Prius vero quam id faciam, unum alterumve, quod in prætexta hujus mali Nosologia jam monendum fuisset, hac vice præfaminis loco addendum esse judicavi, quum illud ipsi, quæ in præsens suscipienda est, pertractationi, inserere non liceat. Præsciendum hic nempe quoque est, quo loco habendus sit hic morbus in ordinatione nostro systemate pathologico? quæ ratio sit, peculiaris operiosiorisque de eo tractationis, cum tamen adeo vulgaris sit, ac vel lippis & tonsoribus obviis, relictusque morbus? Eccur hæc doctrina non integra una comprehensa fuerit dissertatione? Quod ad primum, id quidem dubium non amplius videri posset,*





set, chirurgicum nempe illum esse morbum, neque, cum pro tali haëtenus ab omnibus habitus fuerit, iccirco ad reliquam Medicinam referri oportere. At enim vero, an plane chirurgicus is sit, dubitare licet, cum, ut femoris, ita & brachii praesertim luxationes existant frequentiores, quae a causis producuntur internis, eaque propter ad Medicinam, quae per interna curat, spectare videri possent. Ita vero ambigi reapse, constare potest ex Diss. de causis luxationum internis, quae Praeside cel. FRID. CHRIST. JUNCKERO, & Auctore FRIDERICO AUGUSTO WEITZ publicata fuit, qui in Prooemio suo p. 6, 7. separarunt, inquit, Medici (non sine sufficiente, ut arbitror ratione) morbos a causa interna, aut etiam externa, non tamen violenta, subnatos ab iis, quos causa externa violenta in partibus corporis humani, vel externis, vel internis, producit, harumque, qua talium, doctrinam chirurgiae immiscuerant. Elucescit exinde facile, saepius contingere debere, ut idem morbus, respectu theoriae suae, tam ad pathologiam, quam ad chirurgiam referendus sit. . . . Luxationes possunt tam a causa externa violenta, quam a causa interna gigni, testantibus id Observatorum monumentis. Quare jam priorum consideratio ad Chirurgiam, posteriorum autem doctrina ad Pathologiam revocari debet. Quum autem causae, siue internae fuerint, siue externae, morbum quendam determinare plane nequeunt, nisi ejus causam proximam producant, sequitur, & Pathologum, & Chirurgum de hac luxationum causa proxima differere debere.



bere. *Missa pressiori in ista epicrifi, hæc tantum addo. Pathologia, generatim dicta, confundenda non est cum Pathologia generali & speciali. Utraque Medicina suam sibi vindicat Pathologiam, suam ergo speciatim chirurgia quoque. Deinde neque interna ab internis, neque externa ab externis, sive mediis, sive morbis, obiter determinari potest, cum nullus prope internus existat morbus, qui non externa etiam, neque externus, qui non interna quoque postularet media, adeoque vix, ac ne vix quidem ullus eveniat, qui solis, vel internis, vel externis, tractandus esset. Tota igitur res, apertius dicenda, huc redit. Utriusque Medicinæ tam arctum est vinculum, ut neutra, quod CELSUS jam edixit, ab altera in totum separari possit. Aut igitur nulla plane hic datur separatio, aut, si quæ admittenda est, a potiori illud determinandum erit discrimen. Hoc hætenus prætervise dictæ differentię fundamento factum est, ut tot, tamque acerbæ subortæ fuerint de veris utriusque Medicinæ limitibus controversiæ dicamne? an potius rixæ, litesque, necdum forsân ubique plane compositæ. Quas equidem lites pendentes adhucdum una illa indicata hujus discriminis ratione protinus solvi, & hanc juxta utriusque Medicinæ limites exactius tandem poni, figique posse, convictus semper existimaui, unam nempe definite dicendo eam Medicinam, quæ circa morbos externis maxime, alteram vero, quæ circa morbos maxime internis removendos mediis versatur. Et vero luxationem quamlibet, adeoque brachii pariter luxationem, externa maxime requirere auxilia, constat. Est itaque illa chi-*





rurgicus morbus, ad Chirurgiam proinde, nec ad alteram  
 Medicinam, quoad Pathologiam, æque, ac Therapiam ipsius,  
 referendus. Ad alterum, modo allatum, dubium in proclivi  
 est respondere. Invertenda nempe potius ista est, quam illud in-  
 volvit, conclusio. Eam ipsam ob rationem, quod vel ignoran-  
 tissimis chirurgastris vulgo commissus sit hic morbus, severius  
 tractandus est, isthorumque manibus eripiendus. Idem, quod  
 ita circa luxationes, circa fracturas etiam, similesque, evenit  
 morbos chirurgicos. Idem iccirco & de hisce dicendum erit,  
 atque proinde laudandum eorum consilium, qui data singulari  
 opera separatim tractanda sumserunt ejusmodi mala, ut cel.  
 JOH. FRID. HENCKELIUS in libello, quod inscribitur:  
 Abhandlung von Beinbrüchen und Verrenkungen. Tertium,  
 quod hic moveri posset, dubium, ipsa solvunt ampliora ejus rei  
 momenta, atque, ut equidem sentio, quæ de ea jam dicta sunt,  
 & hic amplius dicenda erunt. Verendum potius est, ut vel so-  
 la hujus morbi Ætiologia arctioribus, quæ ipsi dicatæ sunt, pla-  
 gulis debite possit absolvi. Tantum abest, ut ipsius reliqua Pa-  
 thologia, aut Therapia plane, istis comprehendendi queat. Quam  
 ob rem, & instituti rationem, in proxima, quæ hanc exci-  
 piet, Dissertatione, una tantum, eademque attamen, quod præ-  
 stolari licet, primaria circa hunc morbum necessariæ therapix,  
 instrumentalis nempe, particula cum publico communicari pote-  
 rit. Hac vero vice, eo, quo cæpta est, continuato dicendorum  
 filo pathologico in hac pergam doctrina. Perge L. B. ut con-  
 suevisti, & in hoc, & in quovis alio, ad usus nostros maxime  
 idoneæ



ultra indagandæ veritatis tramite, juvando socius corrigere, quæ minus recte, supplere, quæ neglecta, removere, quæ frustra a me hic forsân dicta intelligis. Pergam eadem tecum legere vestigia, pergemus sic utrinque dulcissimæ, in usus nostros nobis concessæ, veritatis cupidine allecti, novisque inde nobis evenientibus voluptatis utilitatisque communis accessionibus indies beatiores, atque uno hoc veræ in orbe literario amicitiae vinculo uniti, junctis viribus eo anniti, quo nostro possimus tandem optatam cursu contingere metam. HORAT.

## PRÆCOGNOSCENDA

§. 1. **P**raesciendorum hic pauca occurrunt. Eorum namque pleraque jam præmissa sunt in priore de argumento nostro dissertatione, in qua tradita fuit luxationis brachii Nosologia. Qua de re hic explicare velimus, id, opinor, & accurate, & apte, & aperte satis jam prodit ipsa harum plagellarum inscriptio. Hanc juxta nempe præsentis tractationis objectum constituit luxationis brachii Ætiologia. Quid luxationis, quid brachii luxationis nominibus veniat, definite expositum est in modo citata Dissertatione §. 14. 15. 19. Ætiologiam esse, dicique proinde, recte quidem, apteque, eam doctrinam, quæ circa causas rerum, entium rectius, versatur, ipsum hujus vocis etymon jam indicat.

§. 2. Causæ suas involvunt causalitates, fit venia verbo, utpote tecnico. Ætiologia itaque rerum rimatur causas, harumque causalitates, medica medicarum, pathologica morbosarum. Morbus luxatio brachii est. In cuius itaque Ætiologia non causæ ipsius tantum,





tum, sed & harum *causalitates* dicendæ sunt. Valde enim manca est, doctrina *Ætiologica*, quæ rerum *causas* nude nominat, & de nomine sic vix notas facit, nec, quoad licet, *causandi* rationes, modosque una patefacit.

§. 3. Et vero *causarum causalitatumque* plenior indago requirit etiam *conditionum*, sub quibus illæ operantur, cognitionem. Quæ igitur, ut istæ, in hac *aetiologia* considerandæ erunt. Dicuntur illæ alias *causæ*, sine quibus non, *improprie* quidem, quoniam *veræ* non sunt *causæ*, sed *conditiones* earum tantum, haud itaque confundendæ cum *veris causis*. Id quod, ut alibi, ita & in hac de *brachii luxatione* doctrina *aetiologica* sapius fieri solet. Cavendum ergo nobis erit, ne eandem *theoriæ*, & *praxi medicæ* adeo adversam admitramus confusionem.

§. 4. Ecce! vero etiam jam nunc dicendorum *nexum* cum iis, quæ in priore de hoc morbo *dissertatione*, (§. 1.) jam dicta sunt, & ultra dicenda restant. Hunc nempe. Quæ integræ *pathologicae* alicujus *doctrinae* præcipua sunt *momenta*, quibus eadem in universum circumscribatur *limitibus*, notius jam est, quam quod fusius hic repeti oporteat. In ea quidem de *morborum conditionibus*, *internis* æque, ac *externis*, de eorum *causis*, *effectibus*, *signisque*, tam *diagnosticis*, quam *prognosticis*, exponendum est. Prima de illis doctrina *Nosologia*, apte vocatur, eodemque nomine a *Pathologia*, ut *pars a toto*, recte distinguitur, *secunda* eorum *Ætiologia*, *tertia* *Symptomatologia*, *quarta* *Semiologia*, congrue dicuntur. V. *Dissert.* in qua *polyæmiæ Nosologia* tradita est, §. 11. 12. In continuanda igitur hujus morbi *Pathologia* *Nosologiam* ipsius proxime excipit *Ætiologia* eiusdem, hac vice tractanda. Quæ supersunt, & eo, quo dicta sunt, ordine se invicem excipiunt, hujus *Patheologiae* momenta, ea excludunt harum pagellarum angustia.

§. 5.



§. 5. Quem *usum* habet *universa Pathologia chirurgica*, quem nominatim præstant singulæ ejus *partes*, is certe huic *doctrinae pathologicae* in privato haud denegandus erit. Eum vero in universum explicandum sibi vindicat *Medicina universalis*, adeoque neutiquam hic exponendus venit. Nec obstat, *Medicinam universalem* inter præcipua *desiderata medica* hodiernum referendam esse. In eam namque longius hic excurrerè, nec vacat, nec necesse erit. Suffecerit itaque hic annotasse, quod, juxta tritissimum illud notissimumque omnibus, *morbos curare, sit causas eorum tollere*. Quid quidem, ambigeret forte quispiam, expediret multis edisserere violentias illas, quibus hoc infertur mali genus, utpote quæ semel illatæ amplius removeri non possint, quid ergo sibi vellet hic illud: *morbos curare esse causas eorum remove*. At enim vero præter illas *violentas*, communioresque, & amplius removeri nescias, dari quoque frequentiores hujus morbi *causas*, quibus non prius cognitis, neque *imminentem* præcavere, neque *præsentem* curare licet hunc morbum. Et quam damnosa e. g. non poterit non esse violentior *brachii extensio*, in *luxatione* ejus a *causa interna* producta. Quam facilis vero adeo noxius hic est *error*, ignorato hoc discrimine *aetiologico*. Quam necessaria insimul hæc est doctrina ad mali hujus *diagnosin*, & *prognosin*, debite sistendam. Hujus *Ætiologiae*, & præsertim *distinctionis* in ea *causarum externarum*, & *internarum*, necessitatem Cel. JOH. DE GORTER in *Chirurgia repurgata* L. II. C. IV. §. 382. probe perspexit, *causae*, inquit, *luxationem*, & ejus *species inducentes distinguendae in externas & internas*, quod requiritur ad *praedictionem*, & *curationem*. De *causis* vero in foro nostro curiosius indagandis Patrum





nostrorum monita, quem latent? GALENUS *Libr. Isagogic. de optima secta* c. 12. ita habet: ABSQUE RATIONE EXPERIENTIA EXPLICARI NEQUIT. ABSQUE RATIONE OBSERVATIO FIERI NON POTEST. Et *cap. 14.* Si omnia in historia narrata vera esse adfirmant, aliquem profecto judicem habere debuerunt QUI RECTE HISTORIAM INSTITUTAM ESSE judicaret - - - Rationalis sane Medicus PER CAUSAM DIJUDICARE HISTORIAM poterit - - - - ubi vero causam nancisci non possumus, historiae judicium experientiae committimus - - - - contingit enim PROPRIO ERRORE DUCTUM quendam historiam condere. Num igitur, quia neque gloriae cupiditate, neque sectae suae placitis favens, neque contradicendi gratia, scripsit propterea, quicquid ejus scriptis continetur, veram esse dicendum est? (Quid ergo, quæso! de eorum non dicendum traditis, qui auram vulgi captaturi, sectaeque spiritu inflati, & ubique acerbius repugnaces se sistunt?) Quare CAUSARUM VESTIGATIO utilis est, quaeque res, propter quid facta sit, curiose explorandum esse contendimus.

§. 6. Quotiescunque in argumento aliquo elaborando præter alia, a limine ipsius, dicendorum quoque limites præfiniendi mihi sunt, toties non sine animi lucta ambiguus hæreo, qua de eo exponendi utendum sit ratione, rigorosane, an liberiore. Illa quidem per notationes, definitiones, distinctiones, divisiones, partitiones, axiomata consuetaria, theoremata, canones, postulata, problemata, horumque omnium demonstrationes, & elaborationes, observationes, experimenta, lemmata, scholia, suis quavis characteribus etiam apertius exscripta,





pta, ut alias, ita & medicas doctrinas, *evidentius pulcrius, solidius-*  
*que* tradi posse, & explicari, certum exploratumque habent, ipsisque  
factis abunde comprobarunt, celebrioris notæ Eruditi. Quî itaque fie-  
ri posset, ut *gravissima* hæc æque, ac quam *utilissima*, *docendi ratio*  
*levissima* haberetur, & tanquam *scholastica* exploderetur, putaretur-  
que plane repudianda, & deferenda esse. Tanta, hercle! non est in-  
juria temporum. Nonne itaque isti pertinacius inhærendum erit ubi-  
que? non ubique profecto. Vetat id nonnumquam vulgatiores seculi  
genius. Suadet aliud aliquando *prudencia finisque instituti*. Modo  
hac non abutamur libertate, nec a regia illa simplicioris certiorisque  
veritatis via insolentius aberremus. Cavebo id & hac vice!

§. 7. Dicendæ hic sunt (§. 3.) *verae* non tantum *luxationis*  
*brachii causae*, sed & *causae ejusdem, sine quibus non*, seu *conditio-*  
*nes*, quæ ab illis hoc mali genus inferri sinunt. Quam juxta varietate-  
tem proinde hæc doctrina in *duas* abit *Sectiones*, in quarum *una* de  
*veris* hujus morbi *causis*, in *altera* de *causis* ipsius, *sine quibus non*,  
agendum erit. Dicam utrasque *separatim*, ut ita evidentius evadat  
tantum earum discrimen, ut sic una magis patefiat, quam *promiscue*,  
quam *erronee*, sæpius ejusmodi *causae* exponantur. Dicam *istas* qui-  
dem primum, quia *primarium* hujus doctrinæ sunt *objectum*. Dicam  
deinde & *has*, quoniam hæ ex illis melius intelliguntur. Hæ *Partitionis*,  
hæ *Partium*, hæ *Ordinis Partium*, justæ sunt rationes, quas juxta  
igitur præmittenda erit.





# SECTIO I.

DE

## CAUSIS LUXATIONIS BRACHII.

§. 8. De *causis* *causarumque* ea *varietate*, a qua earum vulgo desumitur *divisio* in *internas*, & *externas*, *praecognoscendorum* loco, huic *sectioni* quaedam praestruere cogor, quantumvis ea forsitan a praesenti instituto aliena possint videri. Eam necessitatem mihi imponunt ad doctrinam hanc adcuratius exponendam necessaria *principia* non minus, quam juxta haec in ea removendi *errores*.

§. 9. Sunt, qui ut alibi, ita in *Aetiologiis* suis nullum rerum & *causarum* sensum, nullam *intelligentiam*, quae *technice* dicta circa rerum *principia* versatur, habentes, modo *magnificentius*, quam *rectius*, quia *eloquentius* & *ambitiosius*, verba faciunt, nonnunquam quidem *sesquipedalia verba*, modo inopi lingua asperaque, ne dicam barbara, qualiacunque extorquent, modo neglecta rejectaque ab antiquissimis temporibus usitata, & quotidiana ERUDITORUM vernacula, novam suam, ut plurimum minus concinnam, priore obscuriorem, intortam, & prope *Babylonicam* introducere, quin pertinacius obtrudere, conantur, immo denique saepius *terminis* & *locutionibus* utuntur, quibus vel nullus est intellectus, vel si quis est, ipsismet forte ignoratus. In *exemplis* sunt *Dolaeana*, *Helmontiana* horumque similium *Pneumaticorum* tradita. Idem & in *Aetiologia* nostra *medica* evenire, *Cordatiorum* quilibet norunt, dolentque. Sed facessant haec talia, utpote invidiosa, insuperque refutatu amplius non digna.

§. 10.



§. 10. Digniora isthis ( §. 9. ), quæ dijudicentur, hic occurrunt. Eorum nempe Ætiologorum asserta, quorum non est nude *diffinita*, sed *cogitata*, licet forsan non ubique satis *extogitata*, communicare nobiscum. Eorum, putô, quorum major, & ea est rerum intelligentia, qua sua altius, & ab ovo, quod ajunt, adcuratiusque possint repetere. His *causa*, & *causalitas*, & quicquid hic discriminis occurrat, non, ut illis (l. c.), in verbo est tantum, in re id etiam quærunt. Qua igitur hi id faciant doctrinæ ratione, de eo utilius hic erit dispici.

§. 11. *Duplici significato* sumi potest *causae* vocabulum, *latissimo* nempe, quo indicat quicquid rationem existentiae habet, vel *strictiori*, quo illud tantum dicit principium, a cujus operatione aliquid suam habet existentiam. *Priore* sensu illud accipiunt *definitius* loeunturi, & hac latitudine dictam *causam* dividunt in *internam*, & *externam*, atque *illam* subdividunt in *materialem*, & *formalem*, & hanc iterum in *efficientem*, & *finalem*. *Internam* ab *externa* vero distincturi *illam* dicunt *causam* in ipso existente subjecto, in qua est ratio passiva perdurationis, quæque passive se habet in existendo, *hanc* contra *definiunt* *causam*, in qua est ratio activa alicujus entis, indeque discernunt *existentiam internam*, & *externam*. *Efficiens* autem ipsis est *causa externa*, a cujus operatione ens suam habet existentiam, & *finalis*, *causa externa*, qua *causa voluntaria* ad agendum determinatur, cujus itaque *causalitas* illis est determinatio voluntatis ad finem consequendum.

§. 12. Plenior pressiorque in ea ( §. 11. ) *epicrisis* hic nobis non est concessa. Hæc attamen strictim addere licebit. Posito illo *latiori causae significato*, suo quidem non destituitur *fundamento* hæc do-



*eterna* (l. c.). Verum enim vero si tam late accipiendus esset hic terminus, ut, quicquid *existentiae rationem* haberet, eo comprehenderetur, *causa* quoque, quæ dicitur, *sine qua non*, seu quævis *circumstantia*, sub qua alterum ab altero efficitur, *vera* esset *causa*. Sed *causa* vulgo sic dicta, *sine qua non*, ab omnibus hactenus habita fuit pro *causa*, *improprie* dicta, a nemine pro *vera*. Deinde non satis ita discerni videtur *essendi*, & *existendi*, *principium*, quamvis distinguant inter *materiam* & *formam* in se spectatam, & ad *existentiam* relata. *Forma* a potiori dat esse rei, & eatenus est *possibilitatis complementum*. *Forma* & *materia* sunt *constitutiva* entis *interna*, adeoque constitunt entis *essentiam*. Illa itaque ad hanc æque, ac ad *existentiam* relata considerari possunt. Neque vero ad *existentiam* relata dici possunt *existentiae principia*. Sunt enim ea ipsa, quæ vel existunt, vel existere possunt, & supponunt *existentiae rationem*. Porro *causa*, quæ ipsis dicitur, *efficiens*, non est *species causae*, quia omnis *causa* est *principium effectivum*, ut ex sequentibus patebit. Tantum abest, ut *cospecies* haberi possint *causa* sic dicta *efficiens*, & *causa finalis*. *Causae* quidem *species finalis* est, sed pro diverso considerationis modo, vel *verae*, vel *improprie* dictae, *causae*. Quare & hic cavendum, ne harum alteram cum altera, aut utramque cum *sine* confundamus.

§. 13. Genus rerum *causa* est. Sed *causarum* variae quoque dantur *species*. De his dudum disceptatum fuit. Frustra quidem fortasseam. Pro diversa doctrinae ratione diversae poni possunt. Quid veri habeat, quid ambigui iste *causarum quaternio*, ex dictis (§. 12.), & mox infra dicendis, intelligere est. Alii quinque faciunt *causarum genera*, illis addentes *instrumentalem*, alii sex, superaddentes *exemplarem*, sed utraque *species* potius sunt, & *exemplaris*,  
a qua



a qua discernendum est *exemplar*, pro diverso respectu, vel *veris*, vel *improprie dictis*, *causis* accensenda est. Qui denique causarum genera cum STOICIS, SENECA, CICERONE ad unum revocare voluerunt, ii forte non tam *causarum*, quam potius *rerum genus* intellexerunt. Ceterum tamen nec hic entia præter necessitatem multiplicanda sunt.

§. 14. Ad veri in hac doctrina cognitionem, ut equidem sentio, hæc nos ducit *analisis*. Si A ad aliud, ad B relatum, consideramus, & in A aliquid deprehendimus, ex quo intelligimus B, sive id ejusdem attigerit essentiam, sive existentiam, sive aliud attributum, tum intelligimus aliquod esse  $\tau\alpha$  A ad  $\tau\theta$  B. Ita vero, quod hujus *reflexionis confectarium* est, intelligimus *respectum*. Cujus *confectarii demonstratio* fundatur *respectus* notione. *Respectus* enim est  $\tau\theta$  esse unius ad aliud. Inde alterum: si consideramus  $\tau\theta$  esse unius ab alio, pariter intelligimus *respectum*. Correlata ejus dicuntur *principium*, & *principiatum*. Illud proinde est ens, quatenus continet rationem alterius, hoc vero ens quatenus ratio ipsius continetur in altero. Ratio illa, quæ in *principio* continetur, est vel *cognitionis*, vel *rerum ratio*. Quare *Principium* est, vel *cognoscendi*, vel *rerum principium*, quorum prius illud est, quod cognitionis, alterum, quod rerum rationem continet. Hoc *cognoscendi* quoque *principium* est. Haud vero quodvis *cognoscendi principium* est *principium reale*. *Reale* est, vel *possibilitatis*, vel *existentiae principium*. Inde descendunt *principium essendi*, & *principium fiendi*, seu *existendi*, quorum illud itaque est id, quod possibilitatis, hoc, quod existentiae rationem continet. *Essendi principia* igitur sunt *essentialia*, seu *interna constitutiva*. Qui *principium essendi* latius sumunt, atque sub eo quoque *fiendi*, & *existendi principium* complectuntur, illi  $\tau\theta$  esse &  $\tau\theta$  *existere* confundunt. Continua-



tinuatis his reflexionibus, deprehendimus porro rationem existentiae positam esse, vel in agentis cujusdam operatione, a qua illa perficitur, vel in quacunque concurrente conditione, sub qua illa operatur. Hac reflexione fundatur principii existendi divisio in effectivum, & conditionale. Prius illud ipsum est, quod causa proprie dicendum est, posterius nil aliud est, quam quod causa sine qua non vulgo vocatur. Causa proinde nude ita, nec amplius vera, dicenda est, nisi quidem retinere velimus nomen causae, sine qua non, sicque illius ab hac distinctio id postulet. Neque causae efficientis nomen quadrat, quoniam nude dicta causa id jam involvit, & omnis causa est efficiens, seu effectivum principium.

§. 15. Hac itaque cogitationum, reflexionum, divisionum, notionumque definitarum, iusta quidem, quod persuasum habeo, serie veri nominis causa suum invenit locum, fundamentum, discrimen, & significatum, rectioremque quidem, quia proprium, angustiorumque, nec iusto latiore (§. 11.). Hoc nempe accepta sensu, causa non est aliud, quam existendi principium, a cuius operatione aliquid suam habet existentiam. Causa sine qua non, quibusdam aptius dici videtur conditio sine qua non. Ita omnino facilius evitaretur ejusdem cum vera confusio, tam frequens. Posset ea etiam, non quidem minus apte dici: conditio, seu: conditio causalis, causalis quidem, non quod de causarum genere sit, sed quod causa eam in operando semper supponat, atque non nisi hac posita, ulla sit causae effectio. Causa etenim, sine qua non, seu conditio causalis, est qualiscunque, circumstantia sub qua operatur causa, seu: qua posita ponitur causae operatio, quae ejus causalitas technice vocatur.



§. 16. *Conditio itaque, seu: causa sine qua non*<sup>1</sup>, haud semper est ratio *existentiae passiva* (§. 11.). Unde hoc principium *existendi* dici quoque non potest *passivum*, cum principium *existendi effectivum* quoque esse possit. Ita vero conspectiora fiunt *verarum causarum a causis, sine quibus non*, discrimina æque, ac, quæ ad horum lucem non possunt non evanescere, tenebricosa circa illa dictata, ubi e. g. promiscue loquuntur de *causis disponentibus, prae disponentibus, occasionalibus*, quarum illas dicunt *προνυμμεναι*, quæ ipsis sunt causæ, quæ simul cum occasionalibus unitæ, *causam proximam* constituerent, has enim nuncupant *προκαταρτιναι*, ut Illustris BOERHAAVII *Interpres VAN SUIETEN* habet in *Commentariis* suis ad *Præceptoris sui aphorismum* §. 11. de *cognoscendis & curandis morbis*. Valeant isthæc omnia, per me licet, dum modo accuratius explicentur. Minimum id fecisse videtur vetustior rerum nostrarum *Præco, GALENUS comment. 4. in HIPPOCRATEM de vict. acut. Charter. Tom. XI. p. 178. corpore nostro*, inquit, *ad morbos quasi præparato, externum quoddam adveniens febrim accendit, quod ex se vehementem minime generaret - - - & propter corporis dispositionem unum quodque horum, NON MORBI CAUSA, SED OCCASIO, redditur. Has causas vocaverunt προφασεις. Tanto intervallo, vel vetustissimorum Medicinæ Antistitum, Autorumque in ea classicorum, purior doctrina distat a Neotericorum traditis, qui sæpe ne quidem veram a non vera morborum causa, nec e. g. disponentem, & prædisponentem a dispositione, atque occasionalem ab occasione ipsa, debite discernere norunt. Aliud certe est dispositio, & occasio, sub*

C

qua



qua a causa morbifica morbus producitur, aliud *causa disponens*, ac *praedisponens*, & *occasionalis*. Hæc ipsius *dispositionis*, & *occasionis causa vera* quidem est, neutiquam vero morbi, quem *dispositio*, & *ocasio*, ab illa producta progigni finit. Ita misere confunduntur non modo *dispositio*, & *causa disponens*, atque *ocasio* & *causa occasionalis*, sed & *morbi causa* cum *causa dispositionis* atque *occasionis*, ac denique *vera morbi causa* cum *causa*, *sine qua non*, morbus scilicet a tua productus fuisset *causa*. Ceterum facile patet præter *occasionem* & *dispositionem*, quæ *receptivitas* barbære dicitur, etiam *exemplar*, & *finem*, ad *causam*, *sine qua non*, certo referri posse respectu.

§. 17. *Prima omnium existentium causa* omnem existentiae rationem in se habet, quo nomine veneramur ENS A SE. Sed & quodvis aliud existens, quantumvis quoad *primam sui existentiam* sit *ens ab alio*, aliquam attamen sui existentiae rationem in se habet. Posterioris enim nominis entia à suis *producta causis*, his etiam *cessantibus*, perdurare nihilominus, compertum habemus. Quod igitur & in his aliquod sit principium, *existentiae rationem* continens, qua fit, ut minimum in existendo perdurent, *subsistantque*, statuendum omnino est, nisi quicquid in hoc universo accidit, & a creatorum proficiscitur actionibus, pro immediatis CREATORIS operationibus habere velimus, quo SPINOZÆ, & CARTESII dogmata tendunt. Id vero omnibus *physicis*, & *moralibus*, principiis repugnaret. Posito stabiliiori hoc fundamento nititur receptior, at alias forte non ita fundata, *divisio causæ*, in *internam*, & *externam*. Illa *immanens*, hac *transiens* quoque adpellari consuevit. *Causa* itaque *interna* est *causa* quæ in se,

*externa*



*externa*, quæ extra se aliquid efficit. *Effectus* igitur, qui ab illius proficiscitur *actione immanente*, manet in eadem, & qui ab hujus producitur *actione transiente*, transit quasi ex eadem, extraque illam sistitur. Quam plana hæc sunt, tam *obscura* esse eadem videntur in ipsorum *adplicatione usuque vulgari*. Quare pro pleniore eorum cognitione hoc tantum addere liceat. *Causalitas* vel in suo existente solum, vel simul in alio suam agnoscit rationem. Inde duplex sistitur *causa interna*, quarum altera *causa sui, simpliciter talis*, altera vero *causa sui secundum quid talis* dici potest. *Causa sui, simpliciter talis*, itaque est causa interna quæ sui existentiae rationem sola in se habet; *causa sui vero, secundum quid talis*, est causa interna, quæ sui existentiae rationem simul in alio habet. Neque a vero plane abludit vetustior illa (§. 11.) *causae internae divisio in materialem, & formalem*. Sed de his satis.

§. 18. Si quis forte hæc talia causalia causaretur iniquius, atque vel, nisi quidem *leviora, superflua* tamen haberet, aut a re, quam tractamus, *aliena, justoque remotiora* putaverit, vel philosophica potius, quam medica dicenda esse dixerit, vel *scholasticae* denique *scrupulosiorisque subtilitatis* arguere voluerit, vel altiori spernere supercilio fuerit ausus, is, velim, ea omnia prætereat, vel deleat plane, vel corrigat, vel propiora magisque necessaria, quæ habet, substituat, is præterea cogitet, utrumne pluris curiosius scrupulosiusque, liberiusve, quam verbosius, tradita faceret? Dicat cujus *scholae* nomine *scholastica* repudiet? quæ medica sint non philosophica? is tandem aliquando ad semet ipsum, suaque, reversus perpendat, an minus superflua,





flua, minus a rei cardine abludentia, magisque utilia, atque necessaria, melioraque in suis ubique tradiderit scriptis, &, quod maxime notari velim, caveat, ne ex his sub examen vocatis, quæ ipsummet deficiant, notentur, majore forsan jure reprehendenda.

§. 19. *Vires brachii articulum sustinentes* variae sunt, residentque in partibus illum continentibus, in musculosis, tendine bicipitis, in muscoli deltoidis maxime amplexu, in manticula illa ligamentosa capsulari, in tendinibus aliorum musculorum, quibus capsula hæc firmatur, in cavitatis articularis margine cartilagineo, in processibus illis scapulæ, in vinculo eorum ligamentoso. V. DISS. proxime ventilata §. 20. *Vires hæc sustinentes* in sanis æque, ac in morbose adfectis, pro vario *subjectorum* statu, majores minoresve sunt. Minores cedunt majoribus, ut igitur luxatio fieri possit, majores articulo admoveantur, oportet, vires iis, quæ illum sustinent. Quamvis igitur nonnumquam haud magna violentia in debilitatis luxationis causa esse possit, ea tamen semper major esse debet hunc articulum sustinente.

§. 20. De morborum, & luxationum causis, & nominatim quidem de eorum causis EXTERNIS, atque INTERNIS, omnes loquuntur Pathologi. Quemadmodum vero hic, ut alibi, *veras* ejus *causas* cum *causis* ejusdem, *sine* quibus non, mire confundunt, ita & *veras*, *internas*, & *externas*, nimis promiscue proponunt. Quapropter in utrasque separationem inquirere, consultius duxi. Dicam itaque primo *internas*, deinde *externas*. Inde sectionis hujus primæ (§. 7.)



# MEMBRUM

## I.

### DE

## CAUSIS LUXATIONIS BRACHII EXTERNIS.

§. 21. *Causae luxationis brachii* sunt quævis præternaturalia huic inferendæ potentia (§. 20.), potentiora itaque, seu vires possidentia potentiores, *viribus hunc articulum sustentibus*. Ea vero vel foris inferuntur luxationis subiecto, vel in eo ipso excitantur. *Luxationis brachii causae*, itaque vel *externae* sunt, vel *internae*, illae proinde, quae extra hujus mali subiectum, hae vero, quae intra illud occurrunt. Ex quo patet, quæ in supra citatæ (Præfat. p. 4.) *Dissertationis de causis luxationum internis* C. II. §. 29. leguntur *definitionibus*, ea *divisionum* loco potius assumenda esse, quoniam, juxta *canonem* in *definiendo* observandum, nulla *definitio* debet esse *divisiva*.

§. 22. Qui *causas luxationum* omnes ad *vim auctam*, & *resistentiam imminutam*, reducunt, illi a vero haud semper discedunt. Ita cel. JOACH. FRID. HENCKELIUS, *Medicinae & Chirurgiae Doctor Berolinensis*, in libello, qui inscribitur: *Abhandlung von Beinbrüchen und Verrenkungen*. C. I. Artic. III. p. 135. inde determinatam *luxationis causam*, non quidem *dividi*, sed *distingui* vult a *causa, sine qua non*. *Vis illa aucta* usque scilicet eo, ut major sit *vi articulum sustinente*, omnino *vera* est *luxationis causa*. *Resistentia* vero in articulo *imminuta vera* sane non est ejus *causa*, sed *causa, sine qua non* tantum, seu *conditio*, sub qua illa suum potest edere *effectum*. Id quod præ aliis perspexit, monuitque quam rectissime mo-





do laudatus Auctor l. c. p. 136. addens: Beyde Ursachen, so wohl die vis aucta, als die resistentia imminuta, können auch zusammen stoßen, und eine gemeinschaftliche Ursache (scilicet vera, & improprie dicta) der Verrenkung seyn: letztere wäre eine *causa occasionalis*, erstere aber eine *causa efficiens*, i. e. vera, quæ omnis est efficiens (§. 14.).

§. 23. *Causarum luxationis brachii externarum plurimæ dantur. Communiores vulgatioresque vix attinet dicere. Eas Ill. HERM. BOERHAAVE §. 361. summam expressurus, causa, inquit, vis externa extendens, intorquens, expellens. Expellens vero omnis est, adeoque non species luxationis. Neque sine extensione ulla contingere potest, ut proinde symptoma sic confundatur cum ipso morbo. Ill. EJUS INTERPRES addit: nulla luxatio fieri potest sine vi externa, si articuli, & ligamenta, illos firmantia, se habent ita, ut naturaliter esse solent: immo in adultis, & fortibus, satis magna vis requiritur, ut articuli excidant, ut facile patet ex ligamentorum articulos firmantium robore. Vis autem externa adplicata tribus modis, hac paragrapho recensitis, agit. Sed agit, addo, ut ex dictis patet, non ad amissim recensitis. Deinde nullam luxationem fieri posse sine vi externa, statui nequit. Fieri ea omnino etiam potest vi interna, quod præter alia, infra dicenda, vel sola histrionum exempla comprobant.*

§. 24. *Omnis luxatio, adeoque brachii quoque luxatio fit motu. Motus conditiones sunt celeritas, & directio. Actio unius in alterum cum motu ictus dicitur, quantitas actionis, impetus adpellatur. Quicquid igitur impetu ictuque in aliquem corporis nostri articulum agit, id omne luxationis causa erit, ergo & externa, quacunque id even-*



rit motus *celeritate*, & *directione*. *Luxationis* itaque *brachii causa externa* est quicquid, impetu, ictu, pressu, percussu, lapsu, huic articulo aliquam infert violentiam, majorem *viribus* illum sustinentibus.

§. 25. His proinde *causis* accensendæ quoque sunt, quibus *innocentiores fetus, infantesque*, obnoxii existunt. Incongruos, violentioresque, *motus gravidarum, onerum gestationes, violentias* quas *vis abdomini gravido illatas, immodestos concubitus, saltus, lapsus, vehementiores gravidarum convulsiones*, totidem causas præbere posse *externas*, quibus laxiores *tenellorum articuli* jam in utero ipsis luxentur, vix dubitare amplius licebit, si quidem *tenerrimam, laxissimamque, & levioribus etiam injuriis cedentem, eorum fabricam* consideramus, sin insuper frequentiores a *nativitate luxatos, claudos, aliisque modis distortos* spectamus. Ut de eo ideo tantum dubitari videatur, quod ad dicta infelicius *natorum phaenomena* non attendatur, & dum ista eveniunt, non mox observari possint. conf. *Nosologia luxationis brachii* §. 36.

§. 26. Eodem, immo majore, in discrimine versantur, quo antea in ipso jam utero materno, sub difficiliore ex hoc exitu *fetus nascendi, recensque nati infantes*. Illi quidem, quando horum *brachia*, quibus in pelvis ossibus hærent retenti, solvere & extrahere, vel si quando prolabantur, ea refundere conantur, *frivolis suis tentaminibus eadem distorquent, diinoventque rudes imprudentum obstetricum manus*; hi vero, si *matrum, nutricum, famularumque brachiis excepti negligentius circumgestantur, & super illa prolapsuri inique retinentur, vel stare & ambulare discentes procasuri fortius attolluntur, sicque multoties incaute circumactorum brachiorum luxationes ipsis inferuntur.*





§. 27. Neque excludenda sunt a *causis* harum *luxationum* *externis*, tormenta illa, quibus verum ex maleficis exprimere volunt. Iisdem quoque addendæ sunt, quæ in certantium conflictu, luctatuque obtinent, quando nempe luctantium alter alteri brachium emovet. Quam enim aliquis suo ipsius nixu sibi infert *luxationem*, ejus causa *externa* non est, sed *interna* (§. 20.).

§. 28. An *lucta* adeo cum *spiritibus* *luxationis* causa *externa* existit? Quid de illa JACOBI, Patriarchæ, cum Angelo lucta, Genes. C. 38. v. 25.? Hæc Theologis relinquo dijudicanda.

§. 29. An datur *haereditarius*, an *hujus nominis*, *haereditarius* datur *morbus*? an *claudus* *claudum*, *luxatus* *luxatum*, propagat? Et si dantur vere sic dicta *haereditaria mala*, si talia adeo dantur, quæ eorum *causæ*? an *externæ*? an *internæ*? an ergo huc referendæ? an ad subsequens *secundum* de *causis luxationis internis membrum*? Prius ad hæc respondere non licet, quam *definite* cognitum habeamus, quid *proprie haereditarii morbi* nomine veniat. Est vero *morbus haereditarius* morbus a parentibus propagatus, seu in propagandis, adeoque propagationis opere, ab illis productus.

§. 30. Multi multa de *haereditariis morbis* habent, dicuntque. Qua *doctrinae rationae*, & *stabilitate*, ex debite ante omnia *definito morbi haereditarii conceptu* dijudicandum erit. *Prima* enim *solidioris cognitionis principia*, & *fundamenta*, sunt *genuinae*, & *adæquatae*, rerum, de quibus agitur, adeoque & rei, de qua in *praesens*, *definitiones*. *Utrumne*, quem modo proposui, *morbi haereditarii*



*tarii conceptus* ita comparatus sit, *judicium esto penes L. B.* Talem minimum quæsi,vi,

§. 31. *Iusta* [itaque erit hæc illo fundata *analysis*: a.) *Morbus* *haereditarius*, vi *axiomatis*, *est morbus* (§. 29.). E. vi *confectario- rum*: b.) *status*, c.) *vivi*, d.) *praeternaturalis*, e.) *internus*, ta- lis (b. c. d. e.) enim *definite morbus* dicendus est. f.) E. a *statu prae- ternaturali*, & g.) *simpliciter praeternaturali*, h.) *tam externo*, i.) *quam interno*, k.) *tantoque magis a pathemate*, seu *adfectu*, *physice dicto*, *distinctus*. Dantur enim hujus vitæ *status imperfectiores*, non *praeternaturales* tantum, & *morbosi*, sed & *naturales*, *externi*, *in- ternique*, adeoque pro *morbis* non habendi, qui *communi nomine pathemata*, seu *adfectus*, *physici* scilicet, recte dicuntur, remoto sic *vago*, minusque *technico*, horum *vocabulorum usu*. *Adfectus* enim, *physice dictus*, est *viventium status naturalis*, *internus*, *imperfectior* & *molestior*. Qui proinde in eo differt, a *morbo*, quod *hic invita*, *ille vero sic volente natura eveniat*. Quæ naturæ necessitas eo minus a nobis culpanda est, quo certiores esse possumus, quod eam nostra po- stulaverit *finitudo*, & (ea ipsa SAPIENTISSIMI CONDITORIS consilio in alios usus admittenda fuerit, insuperque majoribus, pluri- busque, quæ aliter obtineri non potuissent, perfectionibus compen- sata. In exemplis sunt *dolores illi ad partum necessarii*, aliæque mo- lestiæ, leviores quidem, si illas cum commodis, ob quæ hæ fuerant admittendæ, comparaverimus, item *morbilli*, *variolæ*, utpote *evolu- tionis pathemata*, non *morbi*, quia *naturalia*, exceptis invita natu- ra sub istis concurrentibus eet.



§. 32. Sed, ut in angustiore hujus *analyseos* (§. 31.) viam redux pergam, l.) morbus est *adfectus*, de quo loquimur, *haereditarius* (§. 29.). m.) E. omnium maxime *distinctus a perfectioribus naturae dotibus haereditariis*. Meliori enim *haereditate* nonnumquam observantur *Posterii ex affe quasi haeredes*. Tam longe, tam late patet *haereditatis* hujus ambitus, ut non mala tantum, sed & bona, ipsius jure *Posteris* veniant, ut itaque nimis parci in ea explicanda sint, qui solis *morbis haereditariis* illam circumscribunt.

§. 33. n.) *Haereditarius morbus est morbus a parentibus productus*. o.) E. *causa ipsius parentes*. p.) E. *horum operatio ejus causalitas*. *Causa* enim, seu *principium existentiae effectivum*, est *principium existentiae*, a cujus operatione aliquid suam accipit existentiam (§. 11.), *causalitas* vero ejusdem operatio, a qua illa efficitur.

§. 34. *Causa parentes* (§. 33.). E. q.) vel *parens mas*, r.) vel *parens femina*, s.) vel *utriusque generis parens*, *pater materque*, unde *parentes* nominantur (l. c.), nec *generantes*, quoniam hoc nomine excluderentur *parentes feminae, matres*, quæ pariter *morborum haereditariorum causae* esse censentur, & sæpe potiori hujus *haereditatis* jure, quam *patres*. *Masculino* vero *futuri fetus*, five iterum *masculi*, five *feminei*, *rudimento*, verbo: *seminali ejus inchoamento*, quia soli *mares* *feminant*, veri nominis *femine* dene-gato *feminis*, quæ agrorum vice illud excipiunt, æque propagari posse hos *morbos*, inde dictos *haereditarios*, ac *feminarum* eo *gravidarum* *inergia*, dubio caret.

§. 35. t.) *Morbus haereditarius est morbus a parentibus propagatus* (§. 29.). u.) E. *morbus propagationis*. w.) E. *non alia ratio-*  
ne



ne productus. x.) E. ab iis distinctus morbis, qui nascituris in ipso etiam utero materno aliunde inferuntur, e. g. a luxatione, fetui a violentia externa illata. y.) E. & distinctus ab illis malis, quæ sub partu inducuntur, ab ipsis quoque parturientibus, vel immorigeris, vel aliis vitiis etiam physicis, quæ partum impediunt, laborantibus. z.) E. distinctus porro (x, y.) ab illis morbis, quibus parentum pariter culpa post partum jam a nativitate sua maxime obnoxii sunt tenelli Posterii.

§. 36. Morbus hæreditarius est morbus a parentibus propagatus (§. 29.). aa.) E. tam sub prima externa, quam sub continuata interna eorum generatione. Quid sit proprie dicta generatio, quæ dicatur externa, quæ interna, quomodo utraque, & præsertim interna differat ab evolutione, quomodo hæc, & utriusque nominis generatio, a propagatione, dictum jam est in *Dissertatione Filii de gemellis coalitis monstrosa pulcritudine spectabilibus* §. 30. seqq. Propagatio nempe latius dicitur, quam generatio, atque non hanc tantum, sed & quasvis alias operationes huic opitulantes involuit.

§. 37. Morbus hæreditarius est morbus a parentibus propagatus (§. 29.). bb.) E. quilibet ita natus morbosus status, qualiscunque præterea fuerit ipsius pro lua in parentibus causalitatis varietate, omnino pariter varia, ipsius ratio. cc.) E. neutiquam involvens tantum adfectum, ei, quo parentes laborarunt, similem, vel æqualem adeo. Tales enim identitates haud adeo frequentes supereunt, si fictas excluderimus. Rariores certe sunt in qualitate identitates, rarissimæ in quantitate. Multo frequentiores observantur iis, quibus parentes adfliguntur, morbis, neque plane similes, neque æquales. dd.) E. vel erronea, minimum manca, est eorum de his doctrina, qui in hac eos solos





*diſſitant morbos, qui iis, quibus adſciuntur, parentes, ſimiles exiſte-  
rent, vel etiam aequales. e. g. haemorrhoidarios ab haemorrhoidariis,  
podagricos a podagricis, calculoſos a calculoſis, claudos a claudis,  
luxatos a luxatis cet.*

§. 38. *ee) E. non modo erronea, ſed falſa plane, & ficta eorum  
ſunt tradita, qui experientiam fruſtra crepantes, turpique ſubreptionis  
vitio decepti, ejuſmodi morbos haereditarios aſſumunt, aliis tam confi-  
denter proponunt, relatosque indies referunt, quorum tamen neque in  
propagantibus, neque in propagandis, ulla deprehenditur ratio. Quo  
igitur forte referas, quæ BORELLUS Cent. I. obſ. VII. hiſce refert:  
In ſuburbio quodam prope Tholoſam villici cujuſdam genu anno 15. aeta-  
tis ſuae ictu luxatum fuit, unde per totam vitam claudus factus eſt.  
Poſt illum iſtum uxorem duxit, & duos ab illa ſuſcepit pueros rectos,  
& probe conformatos, uſque ad annum 15.. Sed quindecimo elapſo,  
ſponte ſua, genuum eorum oſſa luxata ſunt, vitio patris in iis haere-  
ditarie expergeſacto, & eodem anno in iis erumpente, quo luxatus  
fuerat. Huic hiſtoriolae in JOH. CASP. MUSTINGERII Diff. de  
luxationibus §. XI. p. 21. hæc additur. Vir quidam nullo conforma-  
tionis vitio laborans, tres duxit uxores, itidem bene conformatas, &  
tamen omnes eorum filii claudi fuerunt. Id fiebat a vitio haereditario  
avorum in iis reſurgente. Mitiffima certe ad hæc GALENI respon-  
ſio eſt ex prioribus (§. 5.) hic repetenda. Vera ſint ejuſmodi nar-  
rata. Erronea tamen erit eorum adplicatio, indeque deducta conclusio.*

§. 39. Neque tamen ea propter (§. 38.) nullas dari luxationum  
cauſas haereditarias, exiſtimandum eſt. Plurimis ſubjecti ſunt propa-  
gandi injuriis, a propagantibus imminentibus, & ſub prima externa  
æque, ac ſub reliqua interna ſui generatione, quibus teneri ipſorum ar-  
ticuli



ticuli loco moveri possunt. Harum vero omnium *luxationum haereditariarum causae* sunt *externae*. Non enim haerent in ipsis propagandis, sed extra hos in propagantibus existunt. Errant igitur profecto qui *haereditariarum luxationum causas internas* esse docent V. JUNCKERI Patris, *Therap. spec. T. LXIV. l. c. 5.,* p. 467.

§. 40. Præterea (§. 39.) non amplius audiendi sunt, qui *causas luxationum externas* altius, ab *astris* adeo, repetunt, horumque *malignos aspectus* accusant, quibus defluxiones, & congestiones, ad articulos excitarentur. Ita Petr. Joh. FABER in *Chirurgia Spagyrica* T. 4. c. g. & alii plures. Sed FABRUM hunc, & POTERIUM egregios fuisse thrasones, & ventivendulos, recte annotavit CHRIST. GUIL. KAESTNERUS in *Bibliotheca medica* T. II. C. VII. §. XIV. Ast hujus notæ Astrologi, minimum creduli magis, quam docti viri esse videntur. Eorum quidem neminem esse crediderim, qui talem *constellationum influxum* finxerit, cujus vis arcana immediate in nos ageret, atque adeo articulum nobis emoveret. Si vero talem influxum volunt, qui in atmosphæram nostram ageret, perque hanc defluxiones & congestiones in nobis excitaret, cur harum rationes tam remote, nec in nobis proximis tempestatibus quærant, non intelligo. Taceo sic *luxationum causas*, veri nominis tales, cum eorum *conditionibus* ab illis confundi. Cœli enim inclementia, quæ ad eas remotissime aliquid conferrent, non morbi ipsius, sed *dispositionis*, ad illum *causa* esset.

§. 41. Si ceterum hæc omnia, & similia, nisi quidem plane inutilia, minus tamen necessaria hic dictu putarentur, equidem jam reponis & hoc adderem, in hujuscemodi scriptis sæpius licere, quod non æque liceret in alio *doctrinae systemate*. Sed de his satis. Sequitur dicto ordine (§. 20.)





## M E M B R U M

## II.

## DE

## CAUSIS LUXATIONIS BRACHII INTERNIS

§. 42. Latissimus hic dicendorum campus patere videri posset, si ampliores Aliorum spectaverimus disquisitiones, in quibus circa luxationum causas internas se occupatos esse perhibent, Prolixius illud, ceteroquin doctum F. A. WEITZII specimen inaugurale inscribitur: *Dissertatio de causis luxationum internis*, quasi integra, de his conscripta esset. Verum plerumque in ita inscriptis doctrinis non tantum de *veris luxationum causis*, sed potius de harum *conditionibus* agitur, quoniam hæ ab illis non satis discernuntur. Causarum, quibus *luxationes* suam debent originem, *verarum*, & *internarum*, tanta frequentia non est. Separatis, quæ cum ipsis confundi solent, *causis*, *improprie dictis*, illarum perpaucae supersunt, quas igitur brevi hic indicare licet.

§. 43. *Luxationum causae promiscue* non ponuntur tantum, sed & sæpe plane *erronee* habentur *verae* pro non *veris*, & vice versa *hae* pro *illis*. Sed & ipsæ *verae* invicem non debite distinguuntur, atque *verae externae* adeo putantur dicunturque *internae* (§. 39.), & *internae* contra judicantur *externae*. Cum id vero non in hujus de illis theoriæ tantum, sed & in praxeos nostræ non possit non cedere opprobria, distinctius certe illæ interpretandæ erunt. *Internae luxationis*



*tionis brachii causae* ex sunt, quæ in ipso ejus *subjecto* existant. Quæ-  
quæ ergo in hoc non existunt, illæ vel *externae* sunt hujus mali cau-  
sæ, vel nullæ, & earum *conditiones* tantum, in altera hujus operis *se-*  
*ctione* ideo seorsim explicandæ.

§. 44. Ill. BOERHAAVE in aphorismo 362. *causa*, inquit *vis*  
*interna, cavo innata, extrudens*. Sed ea causa non sola est innata,  
eadem esse potest etiam non innata, adventitia, seu foris quidem ad-  
veniens, intus tamen impacta hærens. Sufficiens itaque sane hæc non  
est *causa luxationum interna*, plenius omnino enarranda.

§. 45. Enarratius quidem eam, qui exprimere forsan viden-  
tur, eorum tamen plerumque vel iterum una ex parte sufficiens haud  
est horum causarum enumeratio, vel altera ex parte abundans, aut  
plane erronea. Ita se minimum habent eorum omnium doctrinæ, qui  
*causas, & conditiones*, existentium commiscent, & indisposite enarrant.  
Quo e. g. referas, quæ de hac re habet ceteroquin doctissimus Dn. DU  
VERNEY dans le *Traite des maladies des os Tom. II. C. I. p. 16.* scri-  
bens, on voit par là qu' il y a quatre especes de *deplacemens de l' os par*  
*cause interne*. La premiere est le simple *relachement des ligament*, la  
seconde est le *relagement des ligament avec paralysie*, la troisieme est le  
gonflement seul de *ligamens*; la quatrieme est la *coagulation de l' humeur*  
*glairreuse de l' article*.

§. 46. *Causa luxationis brachii interna*, ut *externa*, pro vario  
ipsius operationis modo varia existit, indeque diversis insigniri potest  
nominibus. Triplex vero maxime existit ille modus. Pressu enim alias,  
alias





alias *pulsu*, alias *distraktionis modo*, luxationem infert quævis *interna quoque causa*. *Triples* itaque maxime existit *causa luxationis brachii interna*, quarum *prima* dici potest *extrudens*, seu *exprimens*, quia premendo agit, *secunda distrahens*, seu rectius *extrahens*, quoniam *distractio* in omni prope occurrit *luxatione*, atque etiam existere potest sine ossis luxatione, & *tertia expellens*, utpote *pulsu* agens.

§. 47. *Causa extorquens, exprimens*, varia existit. Varia enim dantur *interna* etiam, quæ pressione dimovere possunt brachii *articulum*. Eorum alia in ipso articulo, alia extra illum occurrunt. De prioribus primo hic dispiciam, de reliquis postea.

§. 47. *Causam luxationis brachi præbent* quæcunque in ejus articulum congesta caput ipsius pressu suo extrorsum promovent. *Opplens hæc* dici potest *causa*. *Opplentia* vero hæc sunt vel innata, vel aliunde huc delata. duplex igitur est *opplens hæc causa interna*, altera *innata*, altera *adventitia* dicenda. *Illam* constituunt quævis morbose coacervata, *hanc* quævis peregrina in eum delata e. g. glandes plumbeæ, vel tormenti jactu in articulum depulsa, vel in parte vicina relicta & pededentim in illum demissa, nec non alia quævis peregrina corpora huc delata. Tantum abest, ut allegata (§. 44) *causa*, cavo articuli innata, sola hic excitari possit, ut ne quidem *innata* omnis sit cavo huic *innata*. *Extorquens* itaque hæc *causa interna opplens* est *causa*, quia ab operatione ejus, a pressione ipsius, *luxatio* efficitur, est *interna*, quia in ipso luxationis subjecto existit, & *opplens* denique dicitur, ut distinguatur ab aliis *extorquentibus causis*.



§. 49. *Opplens* illud, & *expellens*, *innatum* porro (§. 47, 48.) *diversum* est. *In genere* quidem quodvis productum *praeternaturale*, adeoque & *morbofum*, quia *innatum*, vel *fluidum* est, vel *solidum*, & hoc vel *molle*, vel *durum*. *Proximiores* hæc constituunt *causas luxationis brachii opplentes*. *Remotiores* hujus ordinis *causae*, *causae causarum*, maximam partem communio-rem habent rationem. Hæc ad illas melius interpretandas nos ducit, adeoque præmittenda est.

§. 50. Plane singulare copiosumque natura *articulis* dedit linimentum, quod *humor articularis apte* nuncupatur. Hujus non una, sed triplex, est *scaturigo*. *Articulos* *ligamentosæ* cingunt *manticulæ*, seu *capsulæ*, *ligamenta capsularia* vulgo dictæ, quæ *cavum* constituunt omnino clausum, quod in *statu naturali* neque aliquid *aforis* illabi, neque *foras* elabi finit. His continentur *offium coarticulato- rum*, *excipientis exceptique*, *extrema*, *cartilagineis crustis elasticis*, *levigatis*, undique obducta. Hæ, sive *perichondrio* investitæ sint, quod vero *similius*, sive eo destitutæ, ut quidam volunt, *transcolant* *attamen liquidum oleosum medullare*. *Autopsia anatomica* colæ hæc cui- vis ostendit, armato præsertim oculo facile obvia sunt. Ita eadem sæpius vidi. Nudo oculo hos se vidisse *poros*, scribit CLAPTON HAVERSIUS in *Osteologia* sua p. 173. CEL. ABRAH. RAAV. in *tractatu de perspiratione* HIPPOCRATI dicta C. XXXVI. §. 892. *porosas* esse *cartilagines*, *liquidumque exspirare*, demonstravit.

§. 51. Deinde *articulis*, saltem *majoribus*, *mobili- oribusque*, *prospectum* esse *glandulis* quoque, *Anatome* pariter docet. *Haver- sianæ* ab HAVERGIO illæ vulgo dicuntur, rectius forte ab officio suo  
E muc-





*mucilnaginosæ*, aut a sede sua, *articulares*, dicendæ. Magis enim congrua esse nomina, quæ res ipsas significantius exprimunt, quam Autorum nomina, quis non videt? Lepida hæc est *onomatopœia*, & sæpius ridicula magis, quam honorifica. Quid enim laudis in personarum nominibus, rebus nonnumquam interpositis, quas vel lippi videre, & detegere potuissent. Et si altioris indaginis erant, quæ sui nominis esse vult quispiam, cur non mavult id inferi Eruditorum monumentis? Ecquo jure, quæ *rebus* debemus, quæ natura sibi vindicat, nobis vindicare possumus insignia? Perbella hercle! hæc sunt, & arrogantiæ insignia. Egregia scilicet! philætiæ monumenta. Et vero cum hujus commatis *titularia*, & *personalia*, rerum nomina, Literatorum res oblitterantia potius, quam insignitius exprimentia, nullo, quam in nostro, alio in foro, acceptiora sint, insolentiusque adfectata hætenus, maxime quidem in anatomicis, & ad historiam naturalem spectantibus, incongrua hæc consuetudo intacta reliquenda non est.

§. 52. CEL. RUYSCHIUS, qui omnia vasculosa facere voluit, ejusmodi glandulas existere negavit. Vesiculas attamen, vasis interjectas, adinovit, quas *cryptas*, *lacunas*, dixit. Sed ipsæ ejusmodi vesiculæ *folliculive*, *glandulae* sunt. Harum aliæ *simpliciores*, existunt, ligamentorum superficiebus etiam adpersæ, aliæ *compositæ* magis, majusculæ, de *conglomeratarum* genere, articularibus cavis inditæ. Quemadmodum vero earum existentiam indubitanter demonstratam habemus, ita non minus certo constat hodie, eas liquidum fundere mucosum, albuminosum quasi. V. HAYERS *l. c. p. 260.* RAAV *l. c. §. 851. (§. 50.)*



§. 53. Præterea (§. 50, 51.) in articularum sinus, ut in reliqua cava, ex ultimis arteriis, cum venis quidem anastomes non facientibus, aut ex vasculis illis annexis, porisve exhalantibus, depluere perspirabile tenuius, constat.

§. 54. Ex hisce (§. 50 - 53. intelligitur, quæ sit ratio, non modo ipsius *humoris articularis*, sed & morborum, quibus ille ipse, perque hos, qui illo inunguntur, articuli, possunt adfici. *Articulares* inde illi dicuntur *morbi* Latinis, *arthritides* Græcis. Quo autem frequentiores, quo graviores, sæpius sunt hujus nominis morbi, quo clarior inde evadit ipsis medendi ratio, eo utilior, magisque necessaria, erit intimior linimenti hujus cognitio. Est itaque *humor articularis* humor ex oleo medulloso, liquido mucilaginoso, & perspirabili universali, debita proportionem invicem mistis, compositus, articulisque lubricandis dicatus. Quæ hoc ingrediuntur mixtum, ita comparata esse, ut ex eorum miscela congruum, & ad dictum in articulis usum adcommodatissimum resultet linimentum, ex chymicis facile perspicitur principiis. Imo vero vel aurigis notum est, neque solum *pingue*, neque solum *mucosum*, ad axes rhedarum inungendas satis idoneum esse. Illud justo tenuius est, protinus incalescit, citiusque dissipatur, *mucoso* non temperatum. *Mucilaginosum* contra facile coagulabile, justo tenacius esset, atque ad conciliandam lubricitatem minus aptum.

§. 55. *Rectum est norma obliqui. Sanum ergo morboſi index. Naturale mixtum, mixti præternaturalis, adeoque & humoris articularis*





laris probe cognita natura, cognitionis ejusdem morbose adfecti. A naturæ regula autem is humor defleclit, vel quoad motum, vel quoad materiam, & utrinque vel quoad quantitatem, vel quoad qualitatem, vel modo utroque. In motu quidem peccat vel quoad directionem, vel quoad celeritatem, excedentem deficientemve. Quoad materiam vero morbosus iterum evadit, vel in quantitate, vel in qualitate, in quantitate quidem, vel quoad excessum, vel quoad defectum ipsius. In qualitate quoad vitiatam tam consistentiam, quam mixtionem.

§. 56. Humor articularis validioribus corporis exercitiis commotus perturbatur, citiusque dissipatur. Confirmant id post vehementiores motus mactata animalia, in quorum ossibus, horum articulis parum medullosi & oleoso-mucosi linimenti illius deprehenditur, teste HAVERSIUS l. c. (§. 50.) p. 172. Quiete contra idem non debite miscetur, corrumpitur, subsidet, spissescit, solidescit, indurescit. In quiescentibus faginatæ animalibus ejusmodi coagula observavit modo laudatus Autor l. c. p. 174. Justo enim copiosius congestus humor articularis, quiescens, motu & attritu non attenuatus, diuturniore perspiratu cogitur & condensatur. Nec motus tantum excessu defectuve, sed & directione idem peccat. Obstructis poris resorbentibus retro agitur, partibus eum continentibus vulneratis effluit spissior, glutinosior, subalbidus. Qui motuum morbus is ipse est, quem *μελικηραν*, alii legunt *μελικηραιαν*, dixit CELSUS L. V. C. 26. §. 20. & PARACELSUS in *chirurgia minori* L. I. C. VI. Synonymiam, quo barbaro quidem vocabulo hoc mali genus hodie forte notius.



tius est. Verum hoc non obstante, quam PARACELSUM, CEL-  
sum hic potius audiendum esse, censeo.

§. 57. Vitia humoris articularis quoad materiam (§. 55.) sub-  
nascuntur, in quantitate quidem excedente, si vel plus ejus, quam  
par est, secernitur, vel alias etiam non justo copiosius secretus, adeo-  
que tanto magis uberius aggestus, justo tamen parcius resorbetur; in  
quantitate contra deficiente, quando parcior, vel plane suppressa, est  
ejus secretio, vel & majori, quam qua secernitur, copia dissipatur,  
aut aliorum forasque elabitur; in qualitate denique, respectu consi-  
stentiae, si justo vel spissior, vel tenuior redditur, vel mixtionis in-  
tuitu, tot, quot alii alii humores obnoxii sunt, corruptelis morbose  
adficitur, cacochymis praesertim calcareis, salsis, rodentibus, corro-  
dentibus. Unde tam atrociam, tam frequentiam existunt cujusvis nomi-  
nis, in gra definentia mala arthritica, chiragra, podagra cet.

§. 58. En! primas (§. 50 - 57.) quas ultra ducere non finit  
imposita brevitatis necessitas, genealogiae illius lineas, ad quam in exa-  
ctiore Pathologia referenda est universa morborum articularium pro-  
sapia, eorum quidem non modo, qui κατ' ἐξοχην sic dicuntur, sed  
eorum quoque progenies, quae ipsarum adeo luxationum genetrix esse  
potest assoletque haud infrequenter. Hanc morborum articularium fa-  
miliam saepius, ac vulgo creditur, circa articulorum luxationes per-  
horrescendam & adcausandam esse, HIPPOCRATES jam intellexit  
de locis in homine C. 3. Charter. Tom. VII. p. 36. scribens: mucus  
omnibus natura inest, & quum purus fuerit, sani sunt articuli, ideo-  
que facile moventur, utpote lubrici inter se. Labor autem & dolor  
oritur, quando a carne laborante fluit humor. Imprimis quidem ri-  
gescit articulus, non enim lubrica est humiditas ex carne effluens. Dein-



de, utpote copiosa & valde dispersa, neque ex carne irrigata, semper resiccatur. Quumque illam ob multitudinem articulus capere non possit, effluit, maleque concreescens nervos, quibus articulus colligatur, attollit, relaxat, dissolvit, & ob illud claudi fiunt magis minusve, prout illud magis minusve fit. Et Sect. VI. Aphor. n. 59. Charter. Tom. IX. p. 289. quibus, inquit, ab ischiade diuturna vexatis ischium excidit, & rursus incidit, illis muci innascuntur. Hujus originis luxationes frequentiores esse, PETITUS, Academ. des sciences l' an. 1722. Mem. 159. seqq. se didicisse fatetur propriis erroribus.

§. 59. Spinam ventosam, luem veneream, scabiem, variolas retropulsas, scorbutum, arthritidem, rachitidem, luxationum causas esse remotiores ex dictis (§. 57.) facile intelligitur, & observatum est. Novimus scribit J. T. SCHENCKIUS in Diff. de luxatione ossium in genere p. 16. civem quemdam, cui quotiescunque *Χειραγχα* ipsum infestabat, metacarpi ossa excidebant, quae laevi adhibito artificio, locis suis restituebantur, & p. 13. non semel, inquit, sed quam saepissime in scorbuticis observavi, articulorum citra evidentem causam frangores manifestissimos, quos post biduum manifesta extremorum, humeri praecipue, & femoris, excisio consecuta est.

§. 60. Ex iisdem (§. 55 - 57.) æque facile (§. 59.) repetitur genesis reliquorum malorum, quæ causae hic existere possunt extrahentes (§. 46.). Ad has nempe referri debent: a.) ipsorum ossium in articulo brachii concurrentium, & b.) quæ ea incrustant, cartilaginum a dictis malis præcurrentibus inductæ intumescæntiae; c.) quin & excrementiae, rhachiticae, venereae, aliaeve. V. citata (§. 42.) Dissertatio WEITZIANA §. 28. J. T. ELLERS vollständige Chirurgie Th. 4. Abschnitt II. C. I. §. 9. 6.) p. 574. d.) *εξο-*



σώσις, si pars ossis, & υπερσώσις si totum os intumescit V. ASTRUC  
C. I. L. IV. C. III. T. I. p. 416. conf. fig. in RUYSCII Thes. X.  
Tab. II. fig. 2. CHESELDEN Tab. XLIX. fig. 2. Tab. LV. fig. 1.  
La contusion, qui se fait, produit un cal, ou une excroissance, qui  
s'augmentant tous les jours, peut devenir très capable de chasser peu à  
peu la tête du fémur. Lettre à l'Auteur de l'article second du jour-  
nal des sçavants p. 85. e.) *Calli superincrescientes post neglectam re-*  
*positionem tempestivam.* V. JOH. SCULTETI *Arm. chic. T. 56. p. m.*  
*226.* f.) *Mucosa concreta, indurata,* V. NUCKII *oper. chir. p. 151.*  
*Venet. 1621.* COLLE *Elucidar. chirurg. p. 151. Venet. 1621.* BAR-  
*BETTE chir. C. 5. p. 22. citata modo dissertatio Weitziana §. XXVIII;*  
g.) *fungi*; h.) *hydrops articulorum*; i.) *abscessus*; k.) *tumores cy-*  
*stici*, præsertim *μελικηρίς*, quo tumore continetur humor ceræ ac mel-  
li similis. CELS. L. VII. c. 6. Ad sunt enim glandulae, quæ dicun-  
tur *sebaceae*, a quibus progigni solet *μελικηρίς* J. Z. PLATNERI  
*Institut. chirurg. rationalis §. 761.* Aliud vero est *μελικηρίς* dicta  
(§. 56.) V. PLATN. l. c. §. 357. ubi §. 760. lectu dignum legitur  
hujus in scapula tumoris *exemplum* ab ipso hoc Autore observatum.  
(L) *Aneurisma.* V. C. E. ESCHENBACHII *chirurgia §. 297. a.)*

§. 61. Commemoratis hucusque (§. 42 - 60.) *internis causis lu-*  
*xationis brachii extrudentibus* addendæ sunt *extrahentes* (§. 46.) Hu-  
jus census sunt qualescunque musculorum contractiones, & *spasmi* gra-  
viores, vel & leviores in debilitatis, in quibus parva sæpe vis par est  
removendo articulo. Musculorum actione os brachii extrahitur, sin-  
t illi integri existunt, & satis validi, ligamenta vero laxata, quæ suum  
præsertim amittunt vigorem post nimiam in articulo aliquo restituendo  
vim adhibitam, ab iis, qui curaturi erant. V. PLATNER, *Instit.*  
*chir.*





*chir. rationalis* §. 1104. Idem quoque facilius accidit, si ipsi musculi in uno latere debiliores in altero autem suo adhuc gaudent robore, aut spasmus insuper fortius contrahuntur. V. ELLER l. c. (§. 60.) §. 9. II. 2). *Diff. Weitziana* (§. 42.) §. XVII — XIX. Item si post sanatum articuli vulnus in uno latere *cicatrix* remanet, & in opposito partes continentes relaxantur.

§. 62. Ejusdem classis (§. 91.) causis adnumerantur quoque *luctae*, quatenus sub hisce luctantes adhibita sua ipsorum vi sibi emoveant articulum, luxationis enim ab altera pugnantium parte illatae *causa externa* est; deinde *histrionum* artificia, quibus articulos suos spontanea vi luxare, iterumque reponere, atque cereum quasi corpus, miro adstantium spectaculo, in omnes plagas flectere norunt, quorum spectare videntur, quæ HIPPOCRATES de *Artic. Text.* 23. *Charter Tom. XII.* p. 304. cet. habet, *complures*, scribens, *videre licet*, qui ita *humidi sunt*, ut, *ubi velint*, sine dolore articulos suo loco moveant, & sine dolore restituant; porro brachii pondus, in iis, quibus vires *sustinentes* debilitate sunt; *onerum* denique *elevationes*, quatenus spontaneo nixu innatae vires nimis intenduntur. Alias enim ab *externis causis*, ab ipsorum nempe ponderum viribus trahentibus, repetendae sunt *onerum gestationes*, & *elevationes*.

§. 63. Restant *causae brachii articulum expellentes* (§. 46.) ita dictae, quia pulsu agunt, impetuque perniciores. Huc referuntur *lapsus*, sub quibus articulus in corpora resistentia impingit, quæ enim in ipsum impingunt vehementius, *causae* existunt *externae*; præterea *motus* corporis violentiores, voluntarii æque, ac involuntarii, e. g. sub *terrore*, & præsertim *convulsiones*, *universales*, *particulares*, in tenel-

lis,



lis, nascendis, natisque junioribus, in adultioribus etiam infirmatis. v. citata in Præfat. p. 4. *Diff. Weiziana* §. 31. 33. J. TH. SCHENKIUS in *diff. de luxatione ossium in genere* p. 17. Scribit: *Chemnitii Mysorum*, in qua ad terrorem usque (epilepsia) dominatur, vix lucem ingressi infantes, adeo misere convelluntur, ut, si qui demum revixerint, maxime distorti evadant, atque claudicent. *conf. ELLERUS l. c. (§. 60.) p. 752. 3.) TULPII Observ: 35. L. 4. J. A. MEK- REN Obs: chir. 30.*

§. 64. A luxationis brachii causis veris transeo ad ejusdem causas, sine quibus non, post illas separatim exponendas (§. 7.) Priorem itaque hujus tractationis sectionem nunc excipit.

## SECTIO II.

DE

### LUXATIONIS BRACHII. CONDITIONIBUS, SINE QUIBUS NON,

§. 65. sine quibus illa quidem non existit, nec existere potest, positis etiam veris ejus causis, utpote in operatione sua impeditis (§. 15.). Hæ pariter, ac ipsæ causæ (§. 14.) vel externæ sunt, vel internæ, externæ quidem, in nascituris, & nascentibus æque, ac in natis, in illis ab ipsis propagantibus, & sub partu ab obstricantibus rudioribus illatæ, in his innumeris modis obverti solitæ, nato quovis casu observandæ, nec hic enarrandæ. Internarum nonnullæ hac vice ideo addendæ erant, ut apertius a veris discernantur luxationis causis, pro quibus alias erronee haberi consueverunt (§. 16.).

F

§. 66.



§. 66. Ex earum numero sunt *fracturae*, hunc alias articulum *sustinentes*, vires in illum cingentibus partibus musculosis, & ligamentosis, verbo harum *debilitates*, de quibus, tanquam de *causis* hujus morbi, tot alias verba faciunt. Verum enim vero, qui ita docent, pro vi adeo habent hujus ipsius absentiam. *Privationes* certe nil operantur, non sunt *causae effectrices*. *Articuli debilitas* non efficit, sed effici finit ejus luxationem. *Causas* suas quidem omnino agnoscit *effectrices* ejusmodi debilitas, sed hujus *causae* cum *causis* ipsius *luxationis* confundendae non sunt.

§. 67. *Causae* vero *debilitatis* hujus, quae praecipua omnino est, & frequentior *luxationis conditio*, vel *naturales* sunt, vel *praeternaturales*. *Naturalis debilitatis* harum partium ratio in *rebus naturalibus* sita a priori facile intelligitur, & a KERCKKINGIO obs: 61, p. 12. S. V. L. B. 1717. confirmatur. *Praeternaturalis infirmitas* maxime suboritur abs effuso, largiusque congesto, retentoque, vel & corrupto, acriori, *humore articulari* supra (§. 54.) descripto. *Serosum acre* fibrarum, nervearum maxime, vires dejicit. *Humidum* easdem emollit laxatque, quod HIPPOCRATES jam edisseruit, & CELsus l. c. (§. 58.). Eaque propter id mali genus in iis frequentius existit, qui *synovia*, *hydrope*, laborant (§. 56.) Et JOH. BOHNIUS in colleg. chir. artic. IV. c. 8. 1. p. 87. in *hydropicis* id se frequenter observasse testatur. Conf. ELLERUS p. 752. l. c. (§. 60.) HENCKELIUS p. 136. l. c. (Praefat. p. 6.), citata (l. c.) *Diss. Weiziana* §. 17, 27, 29. Easdem imbecillitatis post se relinquunt vio-



lentiores *articuli brachii distractiones* ab imprudentum artificum conaminibus in illo reponendo factæ. Præcipue huc quoque spectant *prægressæ luxationes*, quas semper excipit partium atonia.

§. 67. Quemadmodum partibus hunc articulum sustinentibus, adeo integris adhuc, sed *resolutis*, ita tanto magis illis *dissolutis*, ejus luxatio evenire potest. *Continui* itaque in illis *solutio* pro hujus luxationis non quidem *causa*, sed *conditio*, habenda erit. Ipsius vero hujus *conditionis causa*, cum *luxationis causa* non confundenda (§. 65.), iterum vel *interna* est, ut acre causticum innatum, partesque corrodens, vel *externa*, ut quodvis *vulnus* penitus in articulum penetrans. V. SCHULZII *Chir. pag. 270. disruptio* partium, quæ ab incongrua, & justo majori vi in luxatis extendendis adhibita inferri solet. Videtis duo hujus rei *exempla* a BOERHAAVII Interprete VAN SVIETEN ad præceptoris sui §. 363. commemorata, unum quod GALENUS, alterum quod ipsemet compertum habuit.

§. 68. Pro peculiari quoque brachii *positu*, sub quo ipsi violentia infertur, differt hæc luxatio. Ab humero pendulum, corporisque trunco adpositum, brachium sursum emoveri potest, diffractum scapulæ processu. A trunco emotum nisi semper, plerumque tamen, deorsum promovetur. *Macilentiam* luxationum conditionem esse, & hanc rem boum exemplo confirmari, quibus ultima hyeme emaciatæ femoris articuli facile exciderent, HIPPOCRATES docuit *de Artic. textu 23. seqq. Charter. Tom. XII.*



§. 69. *Margo*, quo cavitas scapulæ articularis cingitur, cartilagineus vel depressus, vel exesus, vel diffractus hujus luxationis conditionem ponit, quam pridem agnoverunt AVICENNA, & PARAEUS, & ab his repetiit JOH: GERHARDUS, scholæ nostræ olim Doctor celeberrimus in *Diff. de luxationibus*, nec non JOH. THEOD SCHENKIIUS in *Exercitatione medicochirurgica* p. 15.

§. 70. Præterea (§. 65 - 69.) eadem luxationis causa, sine qua non, existere potest multiplex alia mala articuli hujus conformatio, connata etiam, præsertim sin exilius est caput ossis excepti, excipiens, que illud cavitas articularis planior, latiorve, vel contra illud grandius, hæc autem angustior. Ejusmodi luxationis conditionem observavit KERKRINGIUS V. ipsius *Spicileg. anat. obs.* 61.

§. 71. Ceterum non erit, quod moneam, hujus, ut omnium luxationum causas veras æque, ac causas sine quibus non, complicari posse, fierique compositas, qualia exempla & ab aliis relata legimus. V. HILDAN. *Obs.* T. II. 89. *Arg.* 1716. ACTA HAFNIENSIA Vol. II. p. 103. & p. v. not. 9. FRID. KNOLLE *diff. de luxationibus* §. XII. p. 20.

T A N T U M !!

NOBI.





NOBILISSIMO atque DOCTISSIMO

Dn. CANDIDATO

G. P. F. GROSHANS

S. P. D.

Dr. G. F. SIGWART.

*In ea opinione me semper fuisse, cum perspicacissimo JOH. ZACH. PLATNERO in Praefat. ad Institutiones Chirurgiae rationalis p. I - 3. disertis ita docente verbis, hæc ipsa mea sic faciens, profiteor, neminem ne illis quidem morbis, qui interiores corporis partes infestant, scienter & perite mederi posse, nisi ea vitiorum genera, quae Chirur- gi sibi vindicant, habeat perspecta & pertractata. Quae enim in variis corporis sedibus extrinsecus incidunt, & quae oculis cernuntur, attre- ctatu sentiuntur, eadem fiunt in partium internarum viscerumque va- letudinibus, & nomine, & sede magis, quam natura sua, differunt. Quapropter omni tempore artem salutarem discipulis magnopere autor fui, ut hanc vetustissimam ejus partem, CHIRURGIAM, cujus cete- roquin profectus evidentissimus est, diligenter excolerent, atque per ejus notitiam ad recte medendi peritiam contenderent. Hæc eadem omnes ab omni ævo docuerunt probatissimi artis nostræ Antistites. Ea-*



dem & ita se habere, comprobat ipsa *interna utriusque Medicinæ ratio*. Tam etenim arctum non modo *chirurgiæ cum reliqua Medicina* est vinculum, ut altera ab altera in totum separari nequeat, sed & tantum adeo *illius in hac* existit meritum, tanta, quam *illa præ hac* habet, *evidentia & certitudo*, ut plurimis in rebus *haec illius* esse possit magistra. Hanc qui, sat cito etiam, si sat bene, percontat optimorum Præceptorum sententiam, hanc qui ita pertexere satagit telam, is certe non poterit non evadere idoneus *utriusque Medicinæ Doctor*, custosque salutis civium integerrimus. Eo ultra contendere, via **TIBI, NOBILISS. DN. CANDIDATE!** porro patet amplissima. In ea à nostris discessurus subselliis Duces deprehendes dexterrimos, Ill. Archiatrum **ELWERT**, prætorix **SERENISSIMI** cohortis Medicum, ejusdemque Chirurgum primarium, **PATREM TUUM** optimum, Duumviros certe doctrinis rerumque usu versatissimos. Gratulor & hanc **TIBI**, rariorem quidem, nec omnibus datam, adeo opportunam in utraque Medicinæ parte proficiendi facultatem, quam ut felicissimam esse jubeat **SUPREMUM** in cœlis **NUMEN** supplicis prece contendo.

Dab. è Museo d. 3ten Decemb.

1771.





## C O R R I G E N D A.

Pag. 4. lin. 15. harumque lege *horumque*. pag. 7. l. 23. æthiologia l. æriologia p. 8. l. 17. sunt l. *sint*. pag. ead l. penult. Patheologia l. *Pathologia* pag. 9. l. 20. & 21. sistinendam l. *sistendam*. p. 10. l. 13. veram l. *verum*. p. 14. l. 23. fortasseam l. *forassean*. p. 18. l. 8. analis l. *analysis*. p. 18. l. penult. hac l. *hæc*. p. 20. l. ult. primo internas deinde externas l. *primo externas, deinde internas*. p. 26. l. 24. inergia l. *energia*. p. 27. l. 20. omnio l. *omnino*. p. ead. 23. supereunt l. *supererunt*. p. 29. l. 22. conferrent l. *conferret*. p. 31. l. 1. existant l. *existunt*. p. ead. l. 12. horum l. *harum*. p. 32. l. 11. §. 47. l. §. 48. p. ead. l. ead. brahi l. *brachii*. p. 33. l. 19. Clapton l. *Clopton*. p. ead. l. 20. Raav l. *Kaav*. p. 35. l. 2. anastomes l. *anastomoses*. p. 37. l. 22. adcausandam l. *adcusandam*. p. 38. l. 18. frangores l. *fragores*. p. 40. l. 17. debilitate l. *debilitata*.



